

menti, principali debitori, ejulque fidejussori præscripta, ac præcipiente ulterius intimationem faciendam Abbati Sanctæ Crucis pro tempore in casu, quo census extinctio contingeret, ad hoc, ut pro novo investimento, & Monasterii cautione eademmet fors deserviret; Cujus formæ non adimpletæ defectus, + vel extinctionem census excludit, ad tradit. per Decian. in l. Civitas n. 1, in fine, ff. de reb. credit. Alex. conf. 4, lib. 3, n. 8. ibique Adden. in verbo conversæ, Abb. conf. 41, num. 1, lib. 1, §. tertio defessus, Surd. conf. 81, n. 11, lib. 2. Vel saltem hanc exceptionem reddit illiquidam in hoc proinde iudicio rejiciendam ad text. in l. final. Cod. de compensat. ubi inter cæteros notat Castren. in princip. Rota in Romana Salviani 17. Januarii 1603, & in Romana dotis 3. Junii ejusdem anni coram Liita, & in Viterbien. Castrorum 19. Junii 1626, in §. non obstat, quod hæres, coram bon. mem. Coccino.

Cessare quoque visa fuit partialis extinctio pro rata scutorum 200. triduo post stipulationem census ab eodem Petro Paulo accollata, specialiter enim fuerat initio conventum, ut census nisi de consensu, & cum intimatione Abbatiss Sanctæ Crucis in Hierusalem pro tempore redimi posset, prævia quoque denunciatione duorum mensium ipsi faciendæ, ac depouitione fortis penes Montem Pietatis, adeoque tale pactum respiciens securitatem, ac interesse Monachorum, sive formam præ se ferat, sive modum, + specificè debuit adimpleri, nec aliter extinctionem census potuit inducere juxta Soccin. conf. 116, num. 16. lib. 2. Cenc. de cens. quæst. 59, num. 36, & 37. Modern. Roman. disceptat. forens. cap. 45, num. 2, cum sequentibus, Rota coram Seraphin. decisione 1226, nu. 3, & in Romana Census 28. Junii 1613. coram bonæ memoriæ Coccino post eundem Cenc. decisione 408, n. 1.

Hinc Instrumentum prædictum recognitionis bonæ fidei præjudicium inferre non poterit hypothecæ anteriori Monachorum, ex jure dotali Angelæ uxoris agentium; dum non continet aliquam census extinctionem, ad quam non nisi servata forma superius expressa, poterant contrahentes devenire; sed simplicis indemnitas tantummodò conservationem, quæ licet honorum omnium Amodei obligatione ad favorem Petronii, ejulque successorum inducat, jura, tamen anterioris hypothecæ delata Monachis Sanctæ Crucis ex transactione per eos stipulata cum hæredibus Angelæ, non evertit.

Et ita pro confirmatione decisionis coram me die 20. Martii præteritii utraque parte informante responsum fuit, &c.

DECISIO LXIII.

R. P. D. CERRO.

Romana fideicommissi de Coronis.

Lunæ 12. Junii 1651.

SUMMARIUM.

- 1 Filie appellatione, non venit soror germana.
2 Verba continuativa comprehendunt personas supra expressas.
3 Ratio conservandi bona ad certas personas restricta, non extenditur, & n. 5.
4 Clausula initio, medio, & fine, posita totam

dispositionem qualificat.

- 6 Honorati censentur, qui privantur in casu contraventionis.
7 Privatio supponit habitum.
8 Relaxatio supponit vinculum.
9 Nepotum, & descendendum specificatio, post mentionem familiae, importat illorum prælationem, non exclusionem aliorum.
10 Copula, & posita inter genus, & speciem, exponitur pro, id est.
11 Pater censetur exclusus, quando filii instituuntur.
12 Fideicommissum non agnatum, non transmittitur.
13 Filis relictum, propria, non autem patris contemplatione, censetur relictum.

Fuit etiam resolutum, prout aliàs decisum fuerat sub die 28 Januarii 1647, coram Me, non constare de fideicommissio, ad quod Angelica sit vocata, quia cum Simon de Coronis Testator, deficiente linea masculina Martini, Melchioris, Pauli, & Francisci ejus ex Anastasio fratre nepotum, & hæredum institutorum, substituerit filias foeminas magis proximiores, + hujusmodi foeminarum substitutio non comprehendit Angelicam, quæ non est filia, sed germana soror hæredum institutorum, ut firmatum fuit in hac eadem causa 18. Junii 1631, coram bon. me. Merlino, in recent. decis. 519. n. 7, 8, & 24. part. 5. & in decisione edita, coram me, §. His tamen non obstantibus: Idque etiam si omnes foeminas proximiores vocaverit de gradu in gradum, usque in infinitum, quia hujusmodi vocatio, est intelligenda de omnibus foeminis, quæ à præfatis institutis descendunt: Cum enim in præcedenti dispositione nulla penitus mentio facta fuerit + filiorum, nec descendendum lineæ masculinæ alterius, quam dictorum quatuor Nepotum, utique sequentia verba continuativa, foeminas comprehendunt, ad eosdem pariter necessario referri debent, ut probant Soccin. jun. conf. 69, n. 30, cum seqq. lib. 3. Ruin. conf. 102, n. 11, lib. 2. Paris. conf. 18, n. 21, cum seqq. lib. 2. & conf. 72, sub n. 34, lib. 4. Burlat. conf. 228, sub n. 59. Decian. conf. 7, n. 48, 49, & 74, cum seqq. lib. 2. Surd. confil. 21, nu. 10, & conf. 564, sub n. 7. Molin. de primog. lib. 3, cap. 5, n. 60. Peregr. de fideic. art. 25, sub n. 3. cum aliis allegatis in Bononien. fideicommissi de Barberiis 5. Decembris præteritii coram R. P. D. meo Corrado §. Advertendum est tamen.

Nec repugnat ratio conservandæ agnationis, quam licet in prohibitione alienationis expressam, ex intentione testatoris, fideicommissum extendere, ob amplitudinem verborum, maxime contendebant scribentes pro Angelica.

Placuit enim responsio decisionis, quod hoc procederet, si præfata + ratio ad certas personas restricta non fuisset, juxta doctrinam Bart. in l. Pater filium 36, §. fundum sub n. 3, ff. de legat. 3. comprobata in Bonon. fideicommissi de Pancaldis 16 Febr. 1640. coram Card. Panzolo, & 18. Jun. 1642, coram me. Secus autem in proposito, quo ex toto contextu dispositionis attentè considerato, & signanter ex infra scriptis verbis clarè detegitur ad illas fuisse restrictam, ibi, Et etiam quia mediantibus facultatibus conservantur familiae, & agnationes, ac memoriæ defunctorum, propter D. Testator pro ipsa familia, & agnatione conservanda, &c. voluit, atque mandavit, ut bona præfata, &c. semper, & perpetuo in infinitum de gradu

in gradum sint, permaneant, & conserventur, in ipsa familia, & agnatione de Coronis, & penes supradictos ejus nepotes hæredes institutos, ut supra, & ipsorum nepotum, & hæredum filios, nepotes, & alios descendentes masculos per masculos, ac ibi, Et hoc pro honore, honestate & dignitate Domus, & familiae de Coronis, dictorumque ejus nepotum, & descendendum, ut supra &c. Hoc enim casu, quia dicta verba, & penes supradictos ejus nepotes hæredes institutos, ut supra, dictorumque ejus nepotum, & descendendum, ut supra + sæpius geminata, & apposita in principio medio, & fine totam dispositionem qualificant l. 3, §. filius inter medias, ff. de lib. & posthum. Angel. conf. 28, n. 2. Anchar. conf. 65, n. 2. Decian. conf. 70, n. 19, lib. 3. Grat. decis. March. 135, n. 14, illamque restringunt ad personas specialiter expressas, ac impediunt comprehensionem aliarum præter nominatas, ad text. in l. qui liberis §. hæc verba, ff. de vulg. & pupilla. Aym. conf. 98, n. 8. Menoch. confil. 86, n. 43, cum seq. & conf. 610, n. 2, & seqq. Fufar. conf. 89, n. 4. Surd. conf. 123, n. 13, & decis. 85, n. 3. Rot. decis. 272, nu. 6, & 8, ac decis. 283, n. 9, part. 6, rec. Præfata ratio, alias apta fideicommissum extendere, & lineam tam effectivam, quam contentivam comprehendere, illud non ampliat ultra personas expresse consideratas, nec egreditur + descendentes lineæ effectivæ hæredum institutorum, ad quos propterea refertur juxta celebre conf. Dec. 636, n. 7, & 12. à DD. & à Rota comprobatum, ex auctoritatibus plenè allegatis, in dicta decisione §. fuit enim responsum, & præter eas Rota in Urbeveterana fideicommissi 9. Februarii. 1608. coram Ottembergo §. in promissio autem, & nuperrimè in Bononien. fideicommissi de Ruggeriis 14 Junii 1647. & 1. Aprilis 1650, coram Rev. D. meo Decano.

Quæ clariora redduntur ex sequentibus verbis alienationis, prohibitionem, & pœnam alienationum concernentibus, ibi, Et prohibuit bona prædicta, vendi, vel aliàs transfere ad alias quasvis personas, sed semper, & perpetuo, ac in infinitum, ut supra, permaneant, & permanere debeant, ac sint penes supradictos hæredes ejus nepotes, & alios ejusdem respectivè usque in infinitum descendentes, &c. & si contigerit eosdem suos descendentes, & alios, ut supra, nominatos contrahere, voluit contrahere volentem statim privatum esse, &c. & in tantum bona ipsa ad omnes supradictos integraliter deveniant, quod nec momento remaneant, & sint penes alios &c. & taliter quod bona præfata nunquam vendantur ab aliquo suorum nepotum, & hæredum, ac descendendum masculorum. Hinc enim dum solis institutis, eorumque descendentes superius explicitè nominatis alienatio prohibita + fuit, & in casu contraventionis ipsi solum privantur, perneceffe infertur eosdem tantummodo vocationis titulo honoratos fuisse, ad text. l. ab eo C. de fideic. quem communiter sequuntur DD. in l. centurio ff. de vulg. & pupill. ac comprobant Jas. confil. 228, n. 10, lib. 2. Ceph. conf. 17, n. 15.

Sicut enim * regulariter privatio supponit habitum, l. decem, ff. de verb. obligat. DD. in l. non videtur rem amittere, ff. de reg. jur. Et relaxatio * vinculum cap. ad dissolvendum de sponsal. Ità etiã in casu nostro, superius ponderata verba, manifestè ostendunt Testatorem eos dumtaxat honorare voluisse, quibus alienationem prohibuit, & pœnam privationis adscripsit.

Minusve refragatur repetita responsio quod specificatio nepotum & descendendum, post generalem mentionem familiae de Coronis importet solum illorum prælationem, * non autem exclu-

sionem aliarum personarum, sub illius generica denominatione comprehensarum ex gloss. & Bart. in l. cum ita 33, §. in fideicommissio ff. de leg. 2. cum aliis ab informantibus latè congestis.

Quia præter quod non procedit in proposito, quo familia in parte dispositiva vocata non fuit, sed ad certas dumtaxat personas vocatio restricta legitur, ad quas propterea eadem pariter specificatio restrictionem recipere debet, ut notant Bart. Mol. & Fufar. allegati in dicta decis. §. Objectum enim, Existimantur hodie Domini, eam penitus cessare, animadvertentes quod attentata subiecta materia, dictoque testamenti contextu, dictio illa, Et, posita inter nominationem familiae, & expressionem hæredum institutorum, illorumque descendendum, ibi sint, permaneant, & conserventur in ipsa familia, & agnatione de Coronis, & penes supradictos ejus nepotes hæredes institutos, ut supra, &c. & ibi, & hoc pro honore, honestate, & dignitate Domus, & familiae de Coronis, dictorumque ejus nepotum, & descendendum, ut supr. importare non potest ampliorem vocationem, sed solum designat declarationem, perinde ac si testator dixisset, permaneant, & conserventur in ipsa familia, & agnatione de Coronis, id est, penes supradictos ejus nepotes hæredes institutos, ut supra, &c. Cum præfata dictio posita, prout hic, inter genus, * & speciem stet expositive, ac declarativè, & exponatur pro, id est, ut declarant Odd. conf. 45, n. 45. P. Cened. singul. 50, sub n. 12. Gonzal. super reg. 8. Cancell. gloss. 3, n. 9. & aliis relatis optimè respondit Rot. in Regien. Pensionis 5. Maii 1631, coram R. D. meo Decano in recent. decis. 38, n. 12, part. 6. & dec. 123, n. 35, p. 7. Atque idè exinde necessario sequitur quod cum generalis illa denominatio familiae declarativè restringatur ad personas expresse, non sumus in terminis allegatæ prælationis, & consequenter non applicatur, gloss. Bartol. aliique DD. ab altera parte adducti.

Exclusa igitur Angelica, tam ex defectu propriæ vocationis, quam ob restrictam rationem conservandæ agnationis, multo minus admitti potest ex persona Anastasi Patris, quia nullum jus succedendi illi competeat, * quod legitime potuerit ad ejus hæredes transmittere, non enim directè, ex quo vocatus non fuit, quintò ex clara Testatoris voluntate censetur exclusus, dum ipso adhuc vivente, ejus soli filii ab eo instituti fuerunt, ut præter adductos, in d. decis. §. quantum enim facit, text. in l. cum Prætor, ff. de Judic. & in l. cum ita §. in fideicommissio ff. de legat. 2. Rip. in l. 1, sub n. 61, ff. de vulg. & pupil. Decian. conf. 10, n. 27, lib. 3. Card. Mantica. de conjett. lib. 6, titul. 11, n. 11, & lib. 11, tit. 15, sub n. 1. Neque per fideicommissum, dum est restrictum ad hæredes institutos, illorumque descendentes ex superius probatis; Ultra * quod cum præfatum fideicommissum, ipso vivente, purificatum non fuerit, nec ab eo cognitum, ad ejus hæredes transmitti non potuit, Peregr. de fideic. art. 43, sub n. 45, & seq. Fufar. de substit. q. 490, n. 1. cum seqq. cum concordantibus congestis in Romana de Melinibus 15. Januar. 1644, coram me, §. & hinc est, & in Romana fideicommissi de Mariani 1. Martii 1649. coram R. P. D. meo Rojas, §. nec dici potest.

Nec subsistit quod Institutio dd. hæredum facta sub expressione, quod ab Anastasio descenderent, ejus contemplatione facta videatur, eique hæreditas uti profectitia acquisita dicatur.

Quoniam regula est pro filiis, quod eis relictum propriè, non autem Patris * contemplatio-

ne relictum censeatur *l. final. in fin. C. de usufruct.* Idque etiam si vocati fuerint adjecto nomine Patris, quia cum non fuerit facta mentio Patris testatis, ejus denominatio, demonstrationis causa tantummodo facta videtur, Bart. *in l. filiosfam. l. 2. n. 1. ff. de donat. caus. mort. firmans* pro indubitato hoc procedere, si agatur de relictio, quod filio queri possit. Imol. *in l. filiosfamilias n. 2. ff. de condit. & demonstrat. Bero conf. 155, n. 9. lib. 3. Ruin. conf. 194, n. 3. lib. 2. Card. Mant. de conject. l. 8. tit. 16, n. 4. Simon de Pret. de Interpret. ult. volunt. lib. 1. solut. 6, n. 14. & 15, fol. mihi 66. Cas. de Grass. decis. 2, n. 3. de donat. præsertim, quando, prout hic, filii jam nati erant, & proprio ipsorum nomine vocati leguntur, ut notant Afflicti. *in cap. 1. n. 21. de alienan. feud. patern.* Et licet præfata limitentur in relictio facto per consanguineum, ex quo ratione consanguinitatis Testator motus videatur ad relinquendum filio beneficio, & contemplatione Patris, ut tradit, *al. allegatis, Sim. de Præf. d. solut. 6, n. 17.* Hujusmodi tamen limitatio recipitur, quando relinquuntur, id, ad quod Pater tenebatur, vel in causam, ad quam ipse erat obligatus, ut declarant *Surd. conf. 488, n. 20. & Card. Mant. d. tit. 16, n. 8.* Secus autem ubi relictum fuit, prout hic, quod à Patre non erat debitum, hoc enim casu, quia ex tali relictio ipse non subleatur, nisi aliter constet de contraria voluntate (quæ tamen in proposito potius est contra Patrem, dum nullibi in testamento fuit vocatus, (ut dictum est) relictum censetur contemplatione filii in cujus solam utilitatem & commodum tendit, ex adductis per Merlin. *de legit. lib. 2, tit. 9, 16, n. 16.* Hodiern. *in annot. ad Surd. decis. 322, n. 20, 26.**

Et ita, &c.

DECISIO LXIV.

R. P. D. ALBERGATO.

Romana Redditionis rationis.

Veneris 16. Junii 1651.

SUMMARIUM.

- 1 Tutor, non tenetur reddere rationem, nisi de contentis in Inventario; Non tenetur reddere rationem de bonis ad eum perventis, n. 3, & 6.
- 2 Frater sororem dotare tenetur.
- 4 Transactio lites extinguit.
- 5 Negligentia non imputatur ex lapsu modici temporis.
- 7 Instrumentorum indicatio sufficit.
- 8 Fructus stabilium in rationem quinque pro centum annuatim taxantur.
- 9 Alienata in portionem alienantis imputanda.
- 10 Mobilia penes pupillos existentia, cedunt ad exonus Tutoris. Usu consumpta præsumuntur, n. 11.
- 12 Juramento in litem, non est locus, cessante dolo. Amplia ut n. 13.
- 14 Tutoribus expensæ verisimiles reficiendæ. Sufficit reddere rationem de descriptis in Inventario, n. 16.
- 15 Rationes etiam sine libro tutelari, redduntur.
- 17 Liberatio à redditione rationis intelligitur de rigorosa.

Postquam conclusum fuit Causeos uti hæredes Francisci eorum patris tutoris testamentarii Laurentii, & fratrum de Vallerois teneri

nedum de ab eodem gestis, sed etiam de administratis à Serdonato contutore rationem reddere, restrictam tamen ad tempus pupillariorum ætatis ex rationibus congestis in decisione coram me edita 27. Junii 1650, fuit hodie ad ulteriora processum in disputatione Dubii super præfata restitutione rerum pupillariorum per Causeos faciendam, de quibus ipsi exhibito Inventario tutelari cum plenam de ibidem descriptis (ut patet ex singularum partitarum discussione) reddant rationem ad effectum, de quo agitur, sufficientem, juxt. *decis. bon. mem. Urgellen. 241, n. 12.* Domini mihi esse restituendum responderunt.

Quo enim ad loca sex montium vacabilia, primo loco in eodem Inventario adnotata ex datis in sum. de Causeis n. 1, constat præcedente eorum resignatione pretium conversum fuisse in causam necessariam, solutionis videlicet dotis Catharinæ actorum fororis, & ad quam isti tam ex præcepto testatoris, quam ex legis dispositione tenebantur, *gloss. in l. cum plures, §. p. nulli ff. de admin. tut. Grat. dissep. 65, n. 2. Rot. coram Coccin. decis. 77, n. 3, in recent. decis. 564, n. 14 part. 4, tom. 3, & dec. 145, n. 3, p. 6, in Camerin. dous 10. Decem. 1638, §. nec dubitari coram Rev. Terracinen. in Rom. domorum de Regardis 28. Januar. 1650, §. minus obstat coram R. D. meo Decano; fructus verò decursi à die obitus testatoris usque ad secutam resignationem fuerunt positi (ut decet) ad creditum pupillorum, eodem sum. n. 19.*

De officio sigilli Cancellarii secundo loco positi reddenda non est ratio, quia nihil ad tutores pervenit, *Rot. decis. 310, n. 5, p. 5, recent. ex dicto sum. de Causeis n. 2, apparet illud paulo post obitum Andree fuisse per recol. mem. Cardinalis Ludovici. Vice-Cancellarium Theodoro Henriquez collatum, pro quo recuperando lis excitata contra Sereniss. Ducem Parmæ hæredem claræ mem. Cardinal. Farnesii, prævia solutione scutor. 200. ostenditur extincta per transactionem cum eodem ab ipsis Laurentio, & fratribus factis majoribus, de an. 1635. initam, & quæ omnibus, quæ hinc inde oriri possent, controversiis finem imposuit, juxt. text. in l. causas. l. fratres, C. de transact. Rot. in Romana rescissionis concordia 15. Junii 1648, §. hæc enim coram R. P. D. meo Corrado in Bononien. de Testinis 31. Maii 1649, §. quia cum ipsæ coram R. P. D. meo Cerro.*

Officium autem scriptoratus litterarum Apostolicarum vacasse per mortem Hieronymi, non controversitur, & patet ex eodem sum. n. 3. vacationis verò damnum tutoribus non est adscribendum; licet enim ipsis venditio officiorum vacabilium esset per testatorem demandata, hoc tamen, de quo agitur, sub hujusmodi præcepto non comprehendebatur ex particulari illius dispositione, erga dictum Hieronymum, quæ ipsi in juncta fuit indemnitas hereditatis respectu scutor. 800, ad societatem officii pro eodem emendo receptorum, præsertim cum nec etiam aliqua præfatis tutoribus imputari & possit negligentia, si intra quatuor menses cum dimidio circiter, quibus secutus fuit Hieronymi obitus, onus ipsi directè impositum non adimpleverunt, nec illum adimplere coegerunt, ad text. in l. cum post §. præterea, & §. sedis, ff. de admin. tut. *Rot. decis. 678, n. 1, part. 4, tom. 3, recent. & in Maceraten. redditionis rationis 5. Junii 1648, coram R. P. D. meo Melio.*

Officium Equitis Pii fuit de anno 1626. resignatum à Ludovico, illiusque pretium in dotem præfate Catharinæ fuit erogatum, ut constat ex partitis formiter extractis ex Banco Bonani relationibus

Ad Materiam de Alim. Decis. LXIV.

in eodem sum. de Causeis n. 4, fructus verò decursi ante resignationem ponuntur ad creditum pupillorum, ut supra dicto sum. n. 19.

Duo officia Capitolina probantur vendita per Serdonatum tutorem, & Ludovicum alterum ex istis fratribus natu majorem pro scuto. 350, quorum medietatem cum iste receperit, alia medietas ponitur ad creditum pupillorum eod. sum. n. 19, ubi etiam datur creditum de fructibus pro paucis illis mensibus usque ad obitum Hieronymi, quia alii orta postmodum lite super dictis officiis remissi apparent per transactionem exhibitam in sum. responsionis de Causeis n. 2, & satis est ad effectum, de quo agitur, ut eos ad manus tutorum pervenisse non constet, *l. ult. §. fin. C. de admin. tut. Rot. decis. 380, n. 1, part. 4, tom. 2, decis. 586, in prin. part. 4, tom. 3, & dec. 310, n. 5, part. 5, recent.*

Sufficiens quoque de stabilibus, & creditis reddi visa est ratio; nam pretium vineæ extra Portam Militum levis Armaturæ Vecchiarello venditæ, partim versum probatur in solvendo ære alieno pupillorum, ex datis in eod. sum. n. 6. ac ex Instrumentis, & quorum sufficit judicatio *Rot. in Romana separationis bonor. 10. Decem. 1630, coram bo. me. Pirouano, partim verò erogatum apparet in dotandis fororibus Monialibus actorum, in emenda alia vinea, & locis montium d. sum. n. 7, & 8. residuum verò scuto. 123. refertur ad creditum eorundem, ubi supra, n. 19, unà cum omnibus fructibus & ante venditionem dictæ vineæ recollectis juxta taxationem legale ad rationem quinque pro centenario, deductam, ex gloss. in authent. præterea C. de sacros. Eccl. Rot. coram san. me. Greg. XV. decis. 553, n. 8, coram Burat. decis. 65, n. 2, decis. 112, n. 1, coram bon. me. Urgellen. dec. 197, n. 1, & 2. decis. 241, n. 18, in Bononien. prædii 21. Julii 1649, §. liquidatio coram R. P. D. meo Corrado. Creditum autem scutor. 100. cum Anibale Serena in vim concordia cum Laurentio, tunc sui juris effecto, initæ, exactum fuit à Ludovico ejus fratre dicto sum. n. 14. & fructus recompenfativi ex illo exacti ponuntur ad creditum pupillorum n. 19.*

Jocalia verò fuisse distracta à Hieronymo & habetur in eodem sum. n. 18. in illius propterea portionem referenda juxt. text. in l. Marcellus §. res quæ, ff. ad Trebel. scuta autem 35, reperta in hæreditate cum cadis 35 vini ad ejusdem creditum describuntur *ibid. n. 19, quibus per Dominos addita fuit alia partita scuto. 50. quæ probatur exacta per Serdonatum contutorem ex litteris cambiis à Balduino Briellio Mercatore; At de cæteris mobilibus, & nulla est reddenda ratio, cum per testes optimè informatos probentur exitisse penes pupillos, Bart. conf. 239, lib. 1. Rot. coram bon. me. Urgellen. decis. 212, n. 6, & in recent. decis. 380, n. 6, part. 4, tom. 2. & ea uti fragilioris materie & etiam usu consumpta præsumantur, Peregr. conf. 70, n. 21, lib. 1, & de fideicom. art. 10, n. 40. Rot. coram Andrea decis. 69, n. 3, coram san. me. Greg. XV. dec. 285, n. 3. ibique Add. n. 4, in recent. decis. 310, n. 11, p. 5, & in Anconitana dotis 4 Julii 1640, §. secunda vero coram R. P. D. meo Cerro, quorum propterea respectu peti non potest juramentum in litem, & quia ex prædictis quilibet in istis tutoribus cessat dolus, qui ad hunc effectum esset concludenter probandus, Farin. in fragm. part. 2, n. 1001. Cyriac. contr. 180, n. 123. Rot. in Rom. separationis dotis 28. Januarii 1641, coram R. P. D. meo Cerro. præsertim quando & agitur contra hæredes, *l. alio jure. C. de in litem juran. Galgan. de tut. lib. 2, tit. 2, n. 5. Cyriac. contr. 280, n. 24. Laurent. decis. Avinionen. 45, n. 1, Alex. Rauden. decis. 215.**

n. 89. Rot. in Anconitana bonor. 22. Aprilis 1644. coram R. P. D. meo Bichio.

Ex his igitur constat quod Causei ad summum de scuto. 1100, rationem reddere tenentur, ut ex calculo in eorum summario exhibitio n. 19. quæ compensanda, & excomputanda veniunt in expensis in funeralibus factis, in vestibus lugubribus uxoris, totiusque familiae in alendis pupillis, eisque melioribus disciplinis imbuendis, ipsorum juribus tuendis, ac aliis longè excedentibus dictam summam scuto. 1100. recensitis in eod. sum. n. 19. has autem expensas * uti verisimiles, & necessarias tutoribus reficiendas esse respondit *Rot. in d. Maceraten. redditionis rationis 5. Junii 1648. coram R. P. D. Melio, & sæpè in aliis.*

Non obstat quod liber tutelaris exhibitus non fuerit; quia etiam sine libris * ratio reddi potest ex deductis, in Romana tutela de Marfo 27. Januarii 1586, & 23. Januar. 1587. cor. Gipsio in Meliten. revisionis computorum 14. Maii 1593, coram præcl. mem. Card. Hieronym. Pamphilio aliisque per Greg. XV. decis. 199, n. 5. & ibi Add. n. 8, tutoribus enim sufficit exhibere inventarium de bonis pupilli confectum * & de ibidem descriptis reddere rationem, *Rot. cor. Caval. dec. 246, n. 3. in recent. decis. 607, n. 1, part. 1, decis. 380, in prin. part. 4, tom. 2, decis. 351, n. 10, part. 5, decis. 89, n. 5, part. 7. & in Rom. redditionis rationis 10. Decem. 1646. coram R. P. D. meo Peutingero, quod maxime procedere debet in nostro casu, attenda probitate, & bona fama horum tutorum, de quibus testator plurimum confidit, adeo ut eos ab hujusmodi rationum redditione liberaverit, ac propterea ab ipsis rigorosa * exigi nequit redditio, nec citra dolum condemnari possunt *l. Aurelio 21, §. Cajus, ff. de liberat. legat. Fulgos. conf. 25. Dec. conf. 192, sub n. 3. Cravet. conf. 193, n. 9. Munoz. de ratiocin. cap. 5, nu. 8. Cyriac. contr. 412, n. 21. Rot. decis. 362, n. 8, part. 2. recent. in Romana rescissionis transactionis 29. Maii 1648, §. nec enim coram R. P. D. meo Corrado cum aliis in præcedenti decisione congestis.**

Et ita utraque, &c.

DECISIO LXV.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Salviani.

Lunæ 20. Martii 1651.

SUMMARIUM.

- 1 Statuti dispositio non procedit in casu mixto.
- 2 Beneplacitum Apostolicum requiritur in donatione rei Ecclesiæ.
- 3 Creditum probatur ex Instrumento.
- 4 Hypotheca includitur in Camerali obligatione.
- 5 Possessio ex sententia adjudicationis probatur. Ex litis sustentatione probatur, n. 6.
- 7 Salvianum, probatis extremis, justificatur. Non admittit exceptiones turbidas, n. 9.
- 8 Bona obtinens, tanquam hereditaria, non potest impugnare, quin sit talia.
- 10 Censu extinguitur, evicta proprietate censita, super melioramentis sustinetur, n. 12.
- 11 Censu extincto Dominus reperit sortem. Extincto fructus pro damnis exiguntur, n. 13.
- 14 Damna ex instrumento censu, in quantitate remanent liquidanda. Expressè promissa debentur, n. 15. Præmissa diligentia exigendi, debentur, n. 16.
- 17 Interesse in Salviano debetur, etiam si non præcesserit condemnatio.